

vante, possumus, valde cupientes, hanc quoque cogitationem suscepimus ut vetera oecumenica concilia in Nostra Vaticana typographia quam emendatissime imprimantur; quorum quanta sit in eadem Ecclesia Dei auctoritas atque utilitas, fraternitas Tua non ignorat, et iam prima illa quattuor, quibus tamquam quattuor Evangeliiis venerationem adhibendam esse, magnum Ecclesiae Romanae lumen, sanctus Gregorius summus pontifex et doctor egregius docuit, non mediocri piorum et literatorum hominum labore emendata sunt, undique tam graecis quam latinis conquisitis ac collatis libris, et eodem studio in aliorum eiusmodi conciliorum emendatione diligenter iussu Nostro incumbetur. Interea relatum Nobis est in bibliotheca nobilis istius metropolitanae ecclesiae vetustos aliquot conciliorum codices manuscriptos inveniri, qui magno usui esse poterunt ad hanc quam molimur editionem, in primis vero sextam synodum integram grandioribus litteris in membrana scriptam, synodum item Chalcedonensem eadem forma, volumen etiam conciliorum diversorum et decretales epistolas Romanorum Pontificum praeiorum. Ex quorum sane codicum collatione multa ad publicam utilitatem depromi posse speramus. Quare a Tua fraternitate petimus, ut eosdem libros ad Nos transmittendos cures, quod Te et dilectos filios canonicos et capitulares eiusdem metropolitanae ecclesiae, ad quos etiam litteras damus, libenter facturos confidimus, quod vestra erga hanc Sanctam Sedem perspecta pietas et devotio Nostraque erga vos paterna caritas merito postulat. Hac quidem in re quid spectemus vides: solam Dei gloriam et catholicae fidei, quam sacra concilia, rite convocata, Spiritu Sancto auctore docuerunt, propagationem quaerimus. At tam praeclarum opus et fraternitatem Tuam et canonicos convenire, vobis et ecclesiae isti honorificum est et Nobis pergratum erit, quemadmodum Tibi copiosius exponet venerabilis frater episcopus Auxerensis,<sup>1</sup> Nuntius Noster Apostolicus, cui ut fidem cumulate habeas a Te petimus.

« Datum Romae apud S. Marcum sub annulo piscatoris, die 27 Septembris 1597, pontificatus Nostri anno sexto ».

*Brevia, Arm. 44, t. 41, n. 22 Archivio segreto pontificio.*

#### 46. Iscrizione nel portico della Cattedrale S. Maria a Civita Castellana.<sup>2</sup>

« Clemens VIII P. O. M., qui octo praecipuis S. R. E. cardinalibus comitatus pontis molem super Tiberim inter Veyentes et Sabinos a Sixto V fe. rec. olim deliberatam modo suo iussu et aere constructam oculata fide exploraturus ad Veyos divertit et in arce a Petro Aldobrandino eiusdem S.<sup>mi</sup> ex fratre nepote card. ampliss. eiusdem civitatis gub. splendidissime receptus semel et iterum tranquille pernoctavit; interea cum summa lenitate magistratus ad iustitiam colendam patriosque ad rite et recte vivendum adhortatus proventibus archivi et

<sup>1</sup> Coriolano Garzadoro, vescovo di Ossero.

<sup>2</sup> Cfr. sopra p. 674 n. 2.